

DISSERTATIO ACADEMICA

DE

PLAGIS ÆGYPTIACIS

Exod. VII-XII.

CUJUS

PARTEM QUARTAM;

DE

GRANDINE ÆGYPTUM DEVASTANTE,

CONS. AMPL. FACULT. PHILOS. ABOËNS.

PRÆSIDE

Mag. JOHANNES BONSDORFF,

Lingg. Orientt. & Gr. Prof. Ord.

PRO GRADU,

PUBLICO EXAMINI MODESTE OFFERT

CAROLUS GUSTAVUS NYKOPP,

Stipend. Archenh., Wiburgensis.

In Auditorio Mathemat. die II Junii MDCCCX.

H. A. M. S.

ABOË, Typis FRENCKELLIANIS.

UNIVERSITY OF CALIFORNIA

LIBRARY

1911

DEPARTMENT OF CHEMISTRY

UNIVERSITY OF CALIFORNIA

MR. JOHN A. DONOVAN

CLAUDE GUSTAVE TAYLOR

1911



§. IV.

Pharaone autem in obstinatione sua adhuc perseverante, temporeque interim, quo & Ægyptiis, vi climatis & sponte naturæ, hiemis qualiscunque perferendæ essent injuriæ, magnis passibus ingruente: neque hoc quidem in rem suam vertere neglexit Dux Israëlitarum sagacissimus. Commemorat scilicet Historia Mosaica *Exod. IX. 13. seqq.*; Mosen Tyranni rursus adiisse limina, Ipsique *grandine* cœlitus in terram suam, si Israëlitas ulterius retineret, immittenda minitasse; atque etiam, Tyranno minas hæcæ nihil curante, plagam laudatam, imbri largifluo mistam (a), inter fulgura & tonitrua, re vera in Ægypto, nec tamen Gosenitide, erupisse. Quum enim

A

non

a) Collatis versibus 23 & 35, grandinem cum pluvia effusam fuisse, nullo negotio intelligitur.

b) Plerique Peregrinatores annum apud Ægyptios in quatuor, ad normam Europæi computi, partes dividunt;

non modo pluviis & procellis, sed & grandini tonitribusque ea lege esse obnoxiam, ut in regionibus mari Mediterraneo contiguis frequentius, in locis autem superius sitis rarius atque rarius, aut omnino nunquam, hujusmodi contingant hiemen Orientalem, ut recte monet HARMAR (c), efficientia phænomena (d); mensem vero Februarium, quo & Moisaicam e cælo præcipitatam grandinem cecidisse ex ipso

sed ad stipulamur Clariss. Viris VANSLEBEN (*Beschr. von Äg. l. c. p. 17.*) & VOLNEY (l. c. P. I. p. 41.), qui, climati Orientali convenientius, duas tantum partes, quarum altera hiemem s. pluviale tempus, inde a Decembri usque ad Martium, altera vero æstatem s. reliquos Menses complectitur, constituunt.

c) l. c. T. I. p. 48.

d) Apponimus hic, bona Lectoris venia, Peregrinatorum, quos nobis consulere licuit, in hanc rem testimonia gravissima, & quidem primo, quæ pluviam (cum procellis semper conjunctam secundum DESGENETTES l. c. P. II. p. 69.) spectant, nimirum;

ALPINI l. c. p. 11: "Raro decidunt pluvie, quod si contingat, tanquam ros est: Cayri, inquam, quandoquidem Alexandriæ Pelusique, & in omnibus locis mari adjacentibus pluit largissime & læpe."

THEVENOT l. c. P. II. C. 72. p. 493. " — — — Il pleut fort en Alexandrie, & à Rolette aussi; mais au Cayre, qui est plus haut, il y pleut moins."

VANSLEBEN l. c.: "In Alexandria regnet es öfters als in Kairo, sonderlich mit dem Sydwestwind. Ich habe gesehen, das es 3. tage fast an einander regnete und man in Kähnen auf dem grossen Platz an der Seeite fahren konnte. Die Regenzeit ist in den Monaten December, Januar und Februar, je höher man aber ins Land hinauf kommt, je seltner regnet es."

TOURTHÉCOT l. c. p. 526. "Es regnet viel und oft in Nieder- wenig in Mittel- und gar nicht (?) in Ober-Ägypten."

POCOCKE l. c. T. I. p. 305. "Bei dem Meere fallen vom November bis in den März starke Regen. Doch weiter hinauf gegen Cairo regnet es selten, ausser im December, Jänner und Februar; und es sind nur kleine Platzregen, die eine viertel, oder eine halbe Stunde dauern" &c.

HASSELQUIST l. c. p. 616. "I dessa månader, Nov. Dec. Jan. Febr. och Martii felas ej regn i Ägypten; men hwad som hör wäl märkas, det sträcker sig ej längre, än åt närmaste sidan af Medelhafwet; derföre ses wid den tiden i Alexandria, Rosette och Damiate, falla somliga år så mycket regn, att det med fulna dagar ger Inbyggarne olägenhet: men wid Cairo ffer det sållan, wid samma tid, att ett strömoln fan ge ifrån sig några regndroppar wid förbigående."

DE TOTT (*Memoires sur les Turcs*) P. IV. p. 57: "Ce n'est guere que sur les cotes de la Mediterranée, & jusqu'à dix lieux dans les terres, que les pluies sont connues en Egypte; rarement elles l'étendent plus loin. A peine dans l'année a-t-on au Caire deux heures d'une pluie douce."

VOLNEY l. c. P. I. p. 34. "Il faut d'ailleurs observer, qu'il pleut d'autant moins, que l'on l'éleve d'avantage vers le Saïd. Ainsi, il pleut plus souvent à Alexandrie & à Rosette qu'au Kaire, & au Kaire qu'à Minie. La pluie est presque un prodige à Djirdje" (idem quoque referunt: de Thebis, HERODOTUS, *Histor.* L. III. C. X. ita habens: "ἐπι φαρμηνίτε δε του αμασιος βασιλευντος Αιγυπτου, Φασμα Αιγυπτίοισι μεγισον δη εγερετο υσθησαν γαρ Θηβαι αι, υπτιαι, ετε προτερον ουδαμα υσθειται, ετε υσερον το μεχρι εμεν, ως λεγασι αυτοι Θηβαιοι. ε γαρ δη υεται τα ανω της Αιγυπτου το παραπαν' αλλα και τότε υσθησαν αι Θηβαι φαναδι: de Fourshout autem BRUCE l. c. T. I. p. 173.). — Cfr. quoque RADZIVIL l. c. p. 155, DAPPER l. c. p. 227, ARVIEUX (*Hinterl. merkiv. Nachr.*) Th. I. p. 178, MAILLET l. c. T. II. p. 41, KORTE (*Reise nach d. Gelobt. Lande*) 3 Supplem. p. 96. seqq. it. 4. Supplem. p. 144. seqq., NIEBUHR (*Reisebesch.*) T. I. p. 497, FORSKÅL (*Flora Æg. Arab.*) p. XLII, &c. &c.

Ad grandinem vero & tonitrua quod attinet, *illius* quidem phænomeni in Ægypto existentiae testes sint: MONCONY, qui in suo *Journal des Voyages* &c. P. I. p. 251, ad diem 17. Jan., dum Alexandriæ versaretur, ita scribit: "Comme toute la nuit, il pleut de meme tout le jour avec tourment, gresle & eclairs": POCOCKE l. c. T. I. p. 92. hunc in modum de commoratione sua in Fiume Mense Februarii referens: "Als ich zu Fajume war, hagelte und regnete es meist einen ganzen morgen, und die nacht darauf regnete es wieder sehr stark": imprimis KORTE, qui l. c. 4. Supplem. p. 148. ita habet: "Es ist der hagel in Egypten auch gar nicht ausserordentlich; denn einmal habe ich denselben gewifs fallen sehen un-

ter dem Regen, und hätte ich Acht darauf gegeben; so würde ihn vielleicht mehrmalen gesehen haben; besonders aber mag er des Nachts oft fallen, weil ich des Morgens das Land etliche mal mit Schnee bedeckt gesehen, auch ziemliche Nachtfröste von Eis gesehen, das aber alles, so bald die Sonne herauf kam, wegthawete; wo es aber Schnee und Eis giebt, da kann auch der Hagel nicht außerordentlich sein." *Hujus autem phaenomeni in Aegypto frequentiam probabunt PLINIUS (Hist. Nat. L. II. C. L.), DE BREVE (Relat. des voyages &c. p. 259.), MONCONY l. c., VANSLEBEN (Neue Besch. l. c. p. 160.), DESGENETTES l. c., & plures alii. — Cayri tamen & in Aegypto superiore grandinem & tonitrua esse, si non inaudita profus, ut ALPINUS l. c. & DE TOTT l. c. statuunt, certe rarissima, satis superque testantur PERBY (view of the Levant &c. p. 255.) & DENON (voyage dans la basse & la haute Egypte T. I. p. 320.).*

Legentibus itaque nobis, inter veteres, apud PLINIUM (*Panegy. C. XXX.*), ISOCRATEM (*in Busir.*) cæter., inter senioris autem ætatis Peregrinatores, apud LEONEM (*Africa Descript. &c. p. 669.*), FELICEM FABRUM (*Peregrin. Hieros. p. 166, 176.*), SCHWEIGERUM (*l. c. p. 257.*), SICCARDUM (*l. c. p. 117.*), BINOS (*l. c. p. 113.*), PALERNE (*Peregrinations &c. p. 42.*), TROILO (*l. c. p. 470.*) e. q. f. c., pluviam in Aegypto minime existere; grandinem vero & tonitrua, secundum laudatum TROILO (a quo neque, qua grandinem, longe distat VOLNEY *l. c. P. I. p. 41.*), Aegyptiis æque esse ignota; horum omnium testimoniis, ut indubie aliorum experientie contrariis, nullam fidem deberi, jure omnino ponimus. — Atque eodem quoque modo res sese habet cum iis, qui *nivem & glaciam* invisa in Aegypto phaenomena esse statuunt (cfr.

ipso textu sacro conficitur (e), ut frigoris asperitate, ita & imbrium procellarumque frequentia, præcæte-

NEITSCHTZ l. c. p. 153, & TROILO l. c.); contrarium namque docent KORTE (l. c. 3. Supplem. p. 98. it. 4. Supplem. p. 148.), cæt. Non tamen repugnabimus, si quis cum BENJ. TUDELENSI (l. c. p. 116.), ALPINO (l. c.), & MAILLET (l. c. T. I. p. 255, 256.), *gelu & nivem* Cæyri (& superioris Ægypti?) incolis incognita esse affirmaret. Immo, ne *supra Memphin* quidem, ullam unquam *nivem* conspergi, testis est PHILO *de vita Mosis* L. I. (T. II. p. 99. ed. Mangey). Tacemus, HERATIUM, *Caruin. L. III. od. XXVI. de Memphi carente Sythonia nive* loqui.

- e) Quoniam sc. *Exod IX. 31.* memoria proditum est, *linum* (לִנְוֹ) cum jam *in semen*, & *hordeum* (חֲרָדָה) cum *in spicam exiisset*, grandine contusa fuisse, calamitatem illam, mense *Februario* tegetes Ægyptiorum attigisse, perquam videtur probabile. Testantur enim Peregrinatores *αυτοπται*, Ægyptios, superata Nili inundatione, *linum* & *hordeum* serere (cfr. SHAW l. c. T. II. p. 171, POCOCKE l. c. T. I. p. 319.), tempusque utriusque *mensis*, prout prius vel ferius satum fuerit cœlique tulerit temperies, sive ad finem Februarii, sive mense Martio, incidere. Cfr. imprimis, qua *linum*, Schemseddin in DE GUIGNES *notices & extraits* &c. T. II. p. 260, & qua *hordeum*, THEOPHRASTUS *Hist. plant. L. VIII. C. III.*, FLINIUS *Hist. Nat. L. XVIII. C. VII.*, BENJ. TUDELENSIS l. c. p. 118, FORSKÅL l. c. p. XLIII. & LIII, POCOCKE l. c. T. I. p. 94, LARREY l. c. p. 421.

cæteris mensibus esse notabilem (f): saltim in concludendo haudquaquam fecisse nobis videtur, si plagam hanc ad causas naturales retulerimus, veramque rationem, cur Israëlitaë, dum regiones mari Mediterraneo finitimæ, imbre & grandine opprime-

ren-

f) Februarium in Ægypto omnium mensum maxime esse frigidum, in genere observatum vide apud POCOCKE l. c. T. I. p. 305, & VOLNEY l. c. P. I. p. 41. Speciatim tamen, nonnisi tempus inde a VII:a usque ad XV:am diem hujus mensis progrediens & κατ' ἐξοχην ab indigenis

Berd (برد sc. propr. *frigus*; unde & Hebr. ברד *grando*) dictum, acrioris frigoris nomine insigne esse, auctores nobis sunt WANSLEBEN (loco mox cit.), EGMONT & HEYMAN (*Travels through — Ægypt &c.* Vol. II. p. 214, 215). — Eodem vero mense Februario, imbribus & procellis Ægyptum imprimis infestari, testes sunt WILDEN (*Neue Reisebeschr. eines gefang. Christen &c.*) p. 234, PERRY l. c. p. 255, KORTE l. c. 3. Supplem. p. 97, & WANSLEBEN (*Neue Beschr.*) l. c. p. 157, ita habens: "Die kältere Witterung, oder der Winter, länget im Monath December an. Dieser ist sanft und angenehm, sieben Tage ausgenommen, welche die Araber Berd il Agiuz oder die kälte der Alten" (Alterweiber-kälte) "nennen. Diese fangen mit dem 7:ten Februar an, und dauern sieben Tage hintereinander fort, während welcher zeit der Morgen etwas schärfer kalt, die Luft gewöhnlich voll Wolken ist, häufige Regen fallen, und ungestüme Winde sehr anhaltend herrschen."


rentur (g), calamitatis hujus participes non fuerint; in situ Gosenitidis (ne sic quidem, ut suspicamur, prope mare hocce adjacentis) quærendam esse judicaverimus.

Verum quidem est, grandinem a Mose prædictam, portentosa quadam, si verba textus premere velis, gravitate & vehementia exortam proponi; neque negari poterit, prodigiosum quid sapere, plagam hancce horribilem, manibus Mosis ad Jovam sublatis, & illatam, & fugatam fisti: sed sunt hæc & quæ cæteroquin, in fidem opinati miraculi, afferri solent argumenta & monita, levis adeo ponderis, ut neminem, nisi eum, qui præjudicatis suis & cum lacte quasi materno haustis opinionibus sanctitatem quandam tribuere velit, sollicitent. Observamus itaque primo, auctori tragœdiæ hujus, ut jam antea monuimus (h), placuisse cothurnos, atque in hac ipsa grandinis historia, magnam, quæ stylo item depascen-

g) Legitur quidem in textu, totam Ægyptum (excepta Gosenitide) plaga grandinis oppressam fuisse; sed exaggerationem illam jam suo ævo agnovisse videtur *Davidus*, qui Pf. LXXVIII. 43 prodigia Mosaica in agro $\mu\alpha\gamma$ i. e. regione Tanitica (uari Mediterraneo contigua) edita ponit.

h) Cfr. dicta §. II. p. 2.

Tres omnino ad hanc rem in sequentibus afferuntur causae. 1^o
scilicet quod hyperbolicam suam ^{Moses} describit narrationem, 2^o quod neque
ipse Moses neque grandinem in aegypto solitam fuisse, sed potius
id confirmat; describit enim grandinem ut solito graviosem, non
vero prorep inauditam; 3^o quod quia etiam historia profana
referta est fabulis de ventis, fulguribus, tonitribus, grandine &
imbribus arte magica citis & sedatis, quod neque Moses
majoris sit faciendus, qui etiam arte magica ad
laudata efficienda phenomena usum fuisse pertubetive



pascenda est, regnare verborum pompam & orientalem luxuriam (i). Legentibus namque nobis, tantam grandinem, quanta nunquam antea in Ægypto exstiterit, ex quo fundata esset, & prædictam fuisse, & quoque cœlitus delapsam; ecquis est, quin fermonem magna minitantis proprium agnoscat, phænomenonque per se horrendum & in Ægypto ne sic quidem ut in aliis regionibus vulgare, coloribus & ornatu tragico depictum esse intelligat? Similiter, cum in textu sacro legendum exstet, omnia quæ sub dio erant, homines & animalia, grandine oppressa periisse; annon nimis credulum sese præbebit, qui talia crediderit (k)?

B

tio-

i) Plagam hanc, ut & cæteras plerasque, ad nauseam usque amplificatas videlis in *Libro-Sapientie* Cap. XVI—XVIII.

k) Liberaliorem orationis Mosaicæ in hac parte sensum jam suo ævo admisit HARMAR, litteralis sensus alias fidelis propagator, l. c. T. I. p. 551. ita dicens: "Ich glaube nicht, dals es nöthig ist anzunehmen, dals alle Knechte, und alles zahme Vieh der Ægyptier, die zur zeit des von Moses gedroheten und mit Donner und Blitze begleiteten Hagels auf dem Felde waren, getödet wurden. Es dünkt mich genug, wenn alle den Hagel fühlten und nur einige getödet wurden; denn dieses schon könnte die worte des Moses rechtfertigen, dals es ein verderblicher Hagel seyn sollte, dergleichen niemalen vorher

tionem hancce hyperbolicam esse, hominesque illos & animalia grandine *taëta* solum & *vexata* fuisse, neque pluris quidquam ipsam prædictionem Mosaicam involvere, conjiceres? Reticendum tamen non est, neque in Oriente exempla frigoris & grandinis eo usque horrendæ, ut hominibus interitum paraverit, desiderari; testatur enim, ut alia hujus rei omitamus testimonia, ALBERTUS AQUENSIS (l), triginta milites exercitus Balduini I:mi pluviis, grandine, nive & frigore oppressos periisse in Arabia. Sed in Ægypto, sequiori saltem ævo, talia exempla inaudita esse, ultro concedimus (m). Deinde monendum nobis est, auctorem historiæ Mosaicæ, eo ipso quod grandinem Mosaicam ut solito graviorem (cfr. v. v. 18 & 24.) describat, phænomeni hujus in Ægypto

in Ægypten, so lange es stehe, gefallen wäre." Sed si *unum* aut *alterum* tantum grandine periisse statuere tibi placeat, nihil certe impediet, quominus eodem jure *vel* *neminem* succubuisse affirmes. Tacemus, nullo modo explicari posse, quomodo ipse Moses durante grandine a Pharaone digressus (v. 33.) salvus manserit atque sospes, si *omnes* homines & animalia, quæ sub dio erant, grandio perdiderit.

l) Vid. (BONGARSII) *Gesta Dei per Francos* T. I. p. 307.

m) Narrat tamen POCOCKE l. c. T. I. p. 92, grandinem in Ægypto, damnum segeti (quemadmodum Mosaica etiam grandio) sæpius inferre.

gypto frequentiam supponere, Mosenque propterea & quia insolito haudquaquam, ut e supra dictis apparet, tempore plaga illa irruerat (n), ansam arripuisse, non modo calamitatem illico (cras) futuram prædicendi, verum etiam adversariis suis, ut greges & servos sub tecta servandos curarent, suadendi (o). Tertio denique, probe tenendum est, Historiam

n) Concedit ROSENMÜLLER ad *Exod. IX. 23*, pluviam & grandinem nil mirum fuisse; sed in eo, quod Mosis jussu, tempore insolito & vehementissime pluebat & grandinabat, miraculum quærit. Et tamen ipse, miraculum illud mense Februario accidisse statuens, mentionem facit POCOCKII, qui l. c. grandinem Fajumæ, eodem mense cecidisse testatur!

o) Mirum sane videri poterit, Mosen adversariis suis, ut greges & servos, ne futura opprimerentur grandine, sub tecta cogere, suasisse. Sed si rem ad conjecturam revocare tibi placuerit, improbable non est, fundamentum hujus consilii nonnisi in eo forsan, quod olim Ægyptiis, si non omnibus, aliquibus tamen moris fuerit, pecus suum sub acriori hieme s. tempore, de quo supra locuti sumus, *Berd*, domi continere, quærendum esse, eamque ob causam nonnullos quoque de aulicis Pharaonis, verbis Mosis minacibus commonestos, greges suos domum cœgisse, cæteros autem, dicta ejus contemnentes, foris s. in pascuis eosdem reliquisse. Quamvis enim talis, ut in Ægypto locum habentis, œconomiz mentionem non injiciant peregrinatores, quantum novimus; inde tamen non

istoriam profanam, fabularum de ventis, fulguribus, tonitribus, grandine & imbribus arte magica & citis & sedatis esse refertam (p), eoque ex capite neque majoris faciendum esse Mosen, qui manu sua (cum baculo) versus cœlum extensa (q) grandinem

sequitur, eandem nunquam ibidem esse aut fuisse in usu. Hoc saltem certum est & testimonio LA ROQUII (*Reise nach Paläst.* p. 168.) confirmatum, Arabes, pergente hinc, pabulum equis suis domi præbere, neque prius mente Marno eosdem in pascua agere. (Cfr. HARMAR I. c. T. II. p. 475.)

p) Cfr. HEROD TI *Histor.* L. VII. C. 191. de ventis & tempestate sedatis a Magis tempore Xerxis; JAMBlichI *vita Pythagoræ* C. XXVIII. (init.) de arte Pythagoræ, grandinem, procellas, tonitrua &c. reprimendi; STURLONIDIS *Heimkringla*, Ed. *Peringsh.* p. 305. de Sigurdo Episcopo precibus suis ventum cohibente acerrimum, it. p. 381. de Finnonibus arte magica turbines ventorum excitantibus; HADORPHI *Lilla Rimkrön.* p. 8. de Rege Sveciæ Erico Wäderhatt, &c. Videlic quoque que supra §. 1. not. k) de baculo Mosis theumaturgico disleruimus.

q) Dicitur in textu, Mosen *manum suam* versus cœlum *extendisse*; sed *manum cum baculo*, non hoc tantum Exodi Capite, sed & sequentis Capituli versibus 12 & 21, intelligendum esse, vel ex eo, quod in plerisque supra descriptis miraculis edendis *baculum* suum adhibuisset, constat. Collato præterea *Exod. XIV. 16, 21.*, ubi Moses, ex man-

nem & tonitrua tam excitasse quam depulisse perhibetur. Vere namque SENECA Philosophus, χαλαροφύλακας irridens, dixit (r): *Rudis adhuc antiquitas credebat, & attrahi imbres cantibus, & repellere quorum nihil posse fieri tam palam est, ut hujus rei causa nullius Philosophi scholæ intranda sit.*"

dato Jovæ, ut *baculum* suum versus mare extenderet, *manum* suam (h. e. manum cum baculo s. baculum) extendisse perhibetur, ellipsin hancce ne sic quidem duram esse, dilucide patet.

r) Vid. *Quæstiones natural.* L. IV. C. VII.

